

Intelligimus hic stellas inerrantes eas potissimum, quæ uel in Zodiaco, uel in proximis circa eum locis collocantur. Ac quod ad ☉ attinet, cum quotannis in eisdem diebus cum inerrantibus copuletur, expedita ratio est. Nam si quis horam congressus ☉ cum aliqua harum fixarum scire cupit, postquam dies exploratus est, & interuallum stellæ ac Solis, distribue hoc in motum ☉ horarium, qui constat ex superioribus. Ita enim uenaberis interuallum temporis addendum uel auferendum priori, prout ☉ uel antecesserit uel secutus fuerit inerrantem. Exemplo nihil opus est.

Luna uero, quia spacio 27 dierum peruagatur totam Zodiaci longitudinem, ac interea cum omnibus inerrantibus congregitur, ideo congressus eius cum inerrantibus similiter inuestigandus erit, ubi diem cognoueris congressus ☽ cum stella, qui dies diu etiam latere haud potest, cum diurnus ☽ motus penè sit partium 13.

Reliquorum quinque planetarum ratio, & propter tarditatem & uarietatem motus ipsorum non ita expedita est, sed molestiæ ac laboris multo plus habet. Aliquot enim calculi experimentis explorandus erit utcunque dies congressus alicuius horum cum data stella inerrante, Inde per diurnum planetæ motum cætera, ut prius, absoluet solers logarithista, ita tamen, ut sedulo meminerit eum diurnum motum non diu sibi constare, sed mutari ipsum quoque, tardius quidem circa apogon, & perigeon epicycli, uelocius autem circa medios eiusdem transitus, seu longitudes, ut uocant. Immo planetas hos quinque alias esse ὀπολαπτικὸς, alias προσηπτικὸς, id est, alias directos, alias retrogrados, quibus appellationibus uulgo utuntur.

Potest autem hoc præceptum ad alium usum transferri. Vbi enim ex canonibus doctrinæ primi mobilis uel ex nostris tabulis ortum & occasum explorata fuerit, ea Zodiaci pars, cum qua stella aliqua fixa ascendit, uel descendit in dato Horizonte, poterit studiosus Astrologicarum prædictionum ad consimilem modum inuestigare diem, quo datus planeta cum ea inerrante ascendat, uel descendat.

LXVII PRÆCEPTUM DE SYNODO MUTUA

binorum Planetarum.

Multo adhuc plus negotii est in huius rei inuestigatione. De syzygiis ☉ & ☽ supra copiose dictum est, quæ doctrinæ pars ad huius quoque rei tractationem utiliter accommodari potest. Luna quidem, ut 27. diebus ferè percurrit totum signiferum, ita intra dies 30. uel non multo plures cum reliquis 5. planetis congregitur. Lunæ igitur ratio satis adhuc expedita est iuxta doctrinam præcepti præcedentis, itaque ☉, cuius apparens motus ab æqualitate non ita multum recedit, etsi in

Qq 3 altera.

h 4 ♂ ♀ ☿.